

In artificio Sorin distinctione prima: Accipe ab eo paulatim totum diuide, tere seriatim quousque morte occupetur ex nigredinis intensione vt puluis. Hoc est ergo magnum lignum, in cuius inuestigatione non nulli perierunt, deinde quodlibet discernes separatim, tere seriatim.

Morienes: Omne corpus cum anima caruerit, tenebrosum & obscurum inuenitur.

Hermes: Oportet nos duo argenti viui simul mortificare. Idem: Accipe cerebrum eius, aceto acerrimo terte, vel vrina puerorum, quousque obscuretur. Hoc peracto viuit in putrefactione, & fuscæ nubes quæ super ipsum fuerant, & in suo corpore antequam moreretur, reuertuntur. Reiteratus autem prout scripsi iterum moriatur prout narraui. Idem: Oportet autem ipsum à duobus sulphuribus sequestrare: continuè coquatur quousque aqua nigra fiat. Idem: Qui ergo denigrat terram, ad propositum perueniet, & bene habebit. Arnoldus: Verùm cum primùm denigratur, clauem operis dicimus esse, quoniam non fit absq; nigredine: nam ipsa tinctura quam quærimus, qua in quolibet corpore tingamus: Quæ quidem occulta fuit in suo ære, quemadmodum anima in humano corpore. Speculum: Ideo charissime fili, cum in opere fueris, fac vt in principio habeas colorem nigrum, & tunc certus eris quòd putrefacis, & viam rectam procedis.

O natura benedicta, & benedicta est tua operatio, quia de imperfecto facis perfectum cum vera putrefactione quæ est nigra & obscura. Postea facis germinare nouas res & diuersas, cum tua viriditate facis diuersos colores apparere. Ista nigredo nuncupatur Terra, quæ fit leui decoctione totiens reiterata, donec nigredo superemineat. Et sic habes duo elementa, primò aquam per se, dehinc terram ex aqua. Nam vt dicit Auicenna in titulo de Humoribus: Calor agens in humido corpore, primò generat nigredinem, vt est videre in calce quæ apud vulgum fit. Ideo dicit Menabdes: Iubeo posteros facere corpora nō corpora per dissolutionem, & incorporea corporea per suauem decoctionem, in qua summè cauendum est ne spiritus conuertatur